

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

Dominica I. Adventus.

*plicem querelam, triplicem Medelam, & triplicem Cautelam, ut notum est per tractavimus. Quod quidem sine salutari emolumen-
to plurimorum non factum esse, autu-
mo, juxta illud Isa. 55. v. 10.*

Quia verò ante octiduum cum Deo finem imposuimus huic operæ nostræ: Hodie eis & aliud nunc pensum in gratiam vestri, Auditores Optimi! orsuri sumus. Et sicut pius Hipponeñsum ille Episcopus, Augustinus orat: *Domine da mihi nosse me, & nosse te.* Hæc duo nos in tractatione Evangeliorum meditabimur; ut discamus

I. *Ανθρωπολογια, sive notitiam nostri;* quis homo sit post lapsum, sive per naturam sive per gratiam Domini nostri Iesu Christi: *Natura quidem filius ira, & servus peccati:* *Gratiâ Dei autem & per Christum, filius & heres aeterna salutis.*

II. *χριστιωνια, sive notitiam Christi,* quomodo homo cognitionem Dei & filii sui Iesu Christi hinc discere debeat, in qua unicæ vita aeterna consistit. Joh. 17. v. 3.

Jesu Servator! te da mihi nosse, deinde Memet nosse etiam: sic bene doctus ero.

Exegesis.

Quemadmodum aliàs quotidiè in Oratione Dominicâ petimus: *Domine, adveniat regnum tuum:* Sic hodiè cum devo-
tione pià idem nobis repetendum est, quia hodierna Dominicâ ab *Adveniendo* no-
men habet, & *prima Adventus* dicitur. Ubi Christus Servator noster, asino mu-
tuato, tanquam Rex filiæ Sion Hierosolymam ingrediens, nobis meditandus pro-
ponitur. Cum enim appropinquassent Hic-

rosolymis, & venissent Bethphage, ad mon-
tem Olivarum, tunc Jesus misit &c.

Hinc ansam capimus, *Ανθρωπολογια si-
ve notitiam nostri* perdiscere, quando in-
tuemur

I. *Discipulorum obedientiam.* Mandatum Christi de solvendâ asinâ fatis absolu-
num Discipulis videri potuisset: attamen sine ullâ tergiversatione illud expediunt: Eunt enim discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus. Si cum carne & san-
guine deliberatum illi ivissent, plurima obstatcula ipsis remoram injicere potuissent.
Prætendere potuissent, neque se se Dominum asinæ, neque possessorem semet nosse, quod indecorum videretur, si asinam insalutato hospite afferre vellent, quod facile periculum aliquod incurgere possent.

Sed has & similes rationis affectiones seponunt, & cogitant, *αντὶ τοῦ ιησα, nostrum* proinde erit debitum ipsis obedientiam præ-
stare, & morem gerere, prout jubet.

*Hic velim probeste, mi Christiane! utrum tu quoque ejusmodi obediens Christi discipu-
lus exstiteris, ejusq; mandato fideliter inha-
seris, licet forte rationi adversum fuerit
visum?*

O terq; quaterq; beatos nos, si hoc ita observaremus, juxta illud: *Si vos manferi-
tis in sermone meo, verè discipuli mei es-
tis.* Joh. 8. v. 31.

Sed magna hic occurrit diversitas! In-
veniuntur enim hic *Thomistæ*, qui rationi inhiant, & quando Christus quicquam in
verbo suo mandat, quod sibi repugnare vi-
detur, fidem ei denegant, cum glossis suis
pervertunt, nec aliter recipiunt, quam qua-
tenus rationi suæ congruere videtur. Sic ju-
stificatur sapientia à filiis suis, Luc. 7. v. 35.
Sed

Dominica I. Adventus.

32

Sed grande peccatum est. Ratio enim in rebus spiritualibus cœca est, 1. Cor. 2.v.14. ideoque in captivitatem redigenda, in obsequium Christi, 2. Cor. 10.v.5. faciendum verò quod Christus imperavit, licet quomodo fieri possit, non intelligamus. Obedientiam enim fides exigit, non curiositatem, ut Tertullianus ait. Scrutans enim gravia, gravatur, Prov. 25. v. 27. Beati verò, qui non videbunt, & crediderunt. Joh. 20. v. 29.

Occurrunt *Papistæ*, qui Decreta Pontificis, sive antiquorum Patrum scripta & Concilia in majori autoritate habent, quam verbum Dei. Quicquid enim Pontifex jubet, sive in scripturā sacrā inveniatur, sive minus, servandum volunt. Exemplo esse potest doctrina de cena Domini, quam Pates Concilii Constantiensis mirè depravariunt, dum Laicis usum calicis interdixerunt, non obstante contrariâ Christi dispositione, Matth. 26. v. 76. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 23.

Nonne hoc est, rescindere verbum Dei, per traditionem hominum? Marc. 7. v. 15. O quād durum ipsis erit, adversus stimulum calcitrare! Act. 9. v. 5.

Reperiuntur *Atheistæ*, qui nullam correctionem admittere volunt: sed dicunt ad Deum: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus, Hiob 21. v. 14. Hi sunt Epicurei, quorum Symbolum est: Quod libet, licet:

Wir haben Recht und Macht allein /
Was wir sehen/das gilt gemein!

Wer ist der uns sol meistern?

Veri Christiani mandato Christi obsequi, & discipulos ejus imitari debent. Sicut enim omnium est Dominus: ita quoque mandatum ejus super omnia. Esa. 1. v. 20.

II. Proprietarii benevolentiam, qui Do-

mino asinam denegare nolebat, sed sponte indulgebat, cum a discipulis ideo compellaretur. Adduxerunt enim asinam & pullum.

Hic velim examen instituas tecum, utrum tu quoque in commodando, opera caritatis proximo tuo exhibueris.

Multi enim Nabalistæ hodiè se offendunt, qui de munere quodam compellati, non verentur dicere: Quis est David? & quis est filius Isai? 1. Sam. 15. v. 10. 11.

Hoc peccatum est. Deus enim pauperibus subvenire iussit. Propter mandatum assume pauperem: & propter inopiam ejus ne dimittit eum vacuum. Sir. 29. v. 13. Quin imò propterea largitur nobis divitias & opes, ut non modò nobis reservemus, sed in opere quoque de iis succurramus, 1. Tim. 6. v. 18. Hebr. 13. v. 16.

Christus Servator noster vitam pro nobis profudit, ex merita caritate: quidni & nos propter ejus mandatū, in gloriā ejus de bonis nostris, terrenis largiremur? (vos, O quād stultitia est? Deus emit sanguine fer-

Mercari exiguo nos piget ære Deum.

Genuini Christiani norunt quid officii sui sit, nimirum, misereri & commodare, Ps. 112. v. 5. Norunt, se hoc modo Dei mandatum expedire. Qui enim facit misericordia, mutuò dat proximo suo: & qui prævalet manu, mandata servat. Sir. 29. v. 1. Sciunt, si bi hinc opulentam remunerationem expectandam. Qui misereretur afflicti, beatus erit, Prov. 14. v. 21. Talis mutuò dat Domino, qui retributionem suam reddit ei. Prov. 19. v. 17.

Licet autem hanc in parte multum disputetur, quomodo mutuo dandum sit, ut nihil inde speremus, Luc. 6. v. 35. sive usurariè, pro certo lucro: Charitatē Christianam hanc in parte optimam magistram, & moderatricem esse statuimus. Omnia enim quæcunq; vultis,

A 2

vultis,

Dominica I. Adventus.

vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis; & vice versa: quæ non vultis, ut faciant vobis homines, ita nec vos facite illis, Matth. 7. v. 12. Ex quo appareret, hâc in parte, certos limites observandos esse. Non enim nimium extendenda est beneficentia, ut aliis sit relaxatio, nobis verò afflictio, sed ut sit æqualitas, 2. Cor. 8. v. 13.

Si quis igitur proximo suo centum vel mille florenos utendos dedisset, quibus quæcum suum quereret, æquum sanè foret, ut is, qui tantisper pecuniâ suâ destituitur, commodum inde caperet, secus enim ille ditesceret, hic verò in fortunâ pristinâ maneret, nec ulla ex argento utilitas in hunc redundaret. *Ordinata charitas incipit à seipso; & sviader ut potiore rationem habeamus eorum, quæ Deus & natura nobis arctius conjunxit.* Der Herr Christus begehet nicht, scribit Lutherus, daß ich mich mit meinem Gut zum Bettler und den Bettler zum Heirn mache sondern seiner Nothdurft sol ich mich annehmen und was ich vermag ihm helfen daß der Arme mit mir esse und ich mit ihm. Siracides ex utraque parte optimè consultit, Sir. 29. v. 2. seqq.

III. *Populi Reverentiam*, quam ingredienti Regi gloriae discipuli ejus, cum populo præsente exhibuerunt.

1. *Opere.* Imposuerunt enim super asinanam & pullum vestimenta sua, & eum de super sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in viâ. Alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in viâ.

Hoc ipso indicare voluerunt:

1. *Suam beneficentiam.* Vestem enim de corpore detrahunt, eaq; honoribus Christi litant, nobis in exemplum, ut & nos ex nostrâ parte nihil eorum intermittamus,

quo cultum Dei, & Christi gloriam promovere & conservare queamus, juxta monitum Salomonis: Honora Dominum de tuâ substantiâ, & de primitiis omnium frugum tuarum: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Prov. 3. v. 9. 10.

2. *Christi magnificentiam.* Rami enim, quos de arboribus cedebarunt, erant rami palmarum, uti Johannes c. 12. v. 13. testatur, qui olim apud Judæos lætitiae signum fuerunt: Capieatis ramos palmarum, & lætabimini ad facies Domini, Lev. 23. v. 40. Ideo ex captivitate Babylonica reduces fecerunt, Neh. 8. v. 15. 2. Macc. 10. v. 7.

Ita hîc per palmas indicatur, eum, qui venit in nomine Domini, verum esse Triumphantem, qui hunc in finem ingressum suum celebret, ut cum Diabolo in arenam descenderet, eiq; ostenderet, se esse benedictum illud mulieris semen, contritum caput serpentis, Gen. 3. v. 15. Ideo ipse ait: Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam. Joh. 14. v. 30.

2. *Ore.* Non enim modò vestimenta straverunt in viâ, & cæderunt ramos de arboribus, quos ei partim prætulerunt, partim in viâ straverunt: sed cecinerunt quoque in honorem ejus egregium hymnum: Hosanna, Filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis.

Hic velim inspicias te, utrum etiam tanta reverentia ingredientia gloria Regi IESU Christo obviâ processeris, & tam verbis, quam factis ingressum ejusdem promoveris?

Beneficentissimus sanè Deus vintex sux facit, quod debet, Esa. 5. v. 4. qui hunc annum

Dominica I. Adventus.

annum adeo benignitate sua coronavit, Ps. 65.v.12. ut areae impletæ sint frumento, & redundant torcularia vino, Joel. 2. v. 25. Deus exaudivit cœlum, & cœlum exaudivit terram, & terra exaudivit triticum & vinum, quæ nos filios gratiæ exaudirent. Of. 2.v.21.

Præterea verbum Dei purum, cum vero usu Sacramentorum habemus, quod melius est cunctis opibus preciosissimis, imo margaritis, & omne desiderabile ei non potest comparari, Prov. 8.v.11. Hæc non aliter intueri & considerare debemus, ac si Christus corporaliter ad nos venisset, cum thesauris gratiæ suæ. Sed indignis modis ille accipitur! Tantum enim abest, ut hic vel ille Christo vestimenta sua substernat, ut potius & tunicam ei exueret. Hæc mundi hodierni devotio est!

Cum tabernaculum in V. T. extrudendum esset, quilibet de facultatibus suis aliquid ad idem conferre tenebatur. Quod quoque sponte offerebat populus, ut Moses jussit tandem præconis voce cantari: ne ultra offerrent quicquam in oblationem sanctuarii. Exod. 16.v.5.

Hodie liberalitas hæc plane desit, pluri potius ad se se rapiunt, quicquid possebunt. Sed nefanda ingratitudo hæc est. Quia enim nihil à nobismetipsis, sed omnia potius à Deo accepimus, ideoque fas erit, cultum Dei hoc ipso sponte promovere, & nihil intermittere eorum, quæ Christo, ad nos ingredienti, viam sternere possint. Ideo enim Dominos fontis nos constituit Deus, ut in plateas rivuli aquarum deriventur, Prov. 5.v.16.

Sic & laudis sacrificium sordet, quo Christus hodie excipitur. Si maledictio esset gratiarum actio, tum non pauciforen, quideo

sacrificia sua litarent, eò enim res rediit, ut merito cum Augustino quærendum sit: *Plura sunt iuramenta, quam verba.* Hoc ipso vero filius Dei non laudatur, sed denuo crucifigitur, Hebr. 6.v.6. *Non enim minus peccant, qui blasphemant regnante in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris,* ut Tertullianus ait.

Pii Christiani Hosanna suum Christo accinere, eidemque cum hymno exultationis & gratiarum actionis occurrere debent, hunc circiter in modum:

*Hospes veni gratissime, Salve hospes optime,
Nos visitans a lumine, Sons haue temptus late
Non despici molestias, Et ad venis in terras haes
Qui lito dignas gratias! Euas ag am tibi grata!*

*Wish willkommen du edler Guest!
Den Gouver nicht verschmähet hast/
Und komst ins Elen her zu mir/
Wie soll ich immer danken dir.*

Hoc placebit Deo super juvencum, cornua producentem, & ungulas, Psal. 69.v.32. Ps. 50.v.23.

De Secundo.

*PERGEMUS NUNC AD ALTERAM PARTEM X. Q150-
2 VESTIA, SIVE NOTITIAM DOMINI NOSTRI IESU
CHRISTI, MEDITATURI. HIC PROPONITUR NOBIS
IN EVANGELIO HOC NOSTRO:*

1. *Tanquam absentium contemplator.* Eminus enim asinam cum pullo videt, & non videt quid possessor eorum, discipulis dicturus sit.

Idem plus simplici vice probavit. Nathanaëlem vidit sub ficu, Joh. 1.v.48. Sciebat, quot viros mulier Samaritana habuerat & quod, quem tunc habebat, non sit vir ejus, Joh. 4.v.18. videbat hominem cum hydria fictili, Marc. 14.v.13.

A 3 Ad-